

ISMAELITARVM, FVTILIVM QVE
EIVS SECTÆ DOGMATVM,
perspicua confutatio:

Ioanne-Iacobo Beurero interprete.

SARACENI vsque ad Heraclii tempo-
ra simulacris colendis dediti fuere, sum-
maque veneratione colebant Lucife-
rum, & Venerem; quam quidem illi
Chabar sua lingua appellitabant: declarat autem
hæc vox sua lingua *Magnam*. Quo tempore
pseudopropheta apud ipsos exortus est, MOA-
METH ille, qui blasphemis magnopere nobili-
tatus est. Hic e tribu quadam Ismaelitide genus
ducens: primum quidem admodum iuuenis pa-
rentibus orbatus, seruitutem seruiebat apud
mulierem quandam viduam, quæ genere ad
ipsum attinebat. Ætate puerili exacta, in inti-
mam consuetudinem eius sese insinuauit, & cum
ea concubuit, tandemque eam in vxorem duxit.
Omnium itaq; opum hæres factus, sæpenumero
etiam mercaturæ causa peregre proficiscebatur.
Quodam ergo tempore in Palæstinam iter faci-
ens, incidit in Hebræos; deinde & in Arianos;
tandem etiam in Nestorianos: quumque videre-
tur ingenio discendi cupido, celeriter e Iudæo-
rum quidem doctrina Vnius imperium: ex Aria-
norum vero, Verbum & Spiritum, res esse con-
ditas: e Nestorianorum tandem, Hominis cul-
tum, hausit. E quibus omnibus inter se iunctis,
mixtam quandam religionem commentus est.
Qui

Qui